

Si vero agatur de Festo in determinata mensis Dominica celebrando, tunc Dominicæ computantur juxta computum civilem seu vulgarem; nimirum mensis prima Dominica erit illa quæ prior venit in ipso mense; secunda, quæ hanc subsequitur, et sic porro. Unde, ex gr., Festum Septem Dolorum B. M. V., quod Dominica III Septembris celebrari debet, ponendum est in illa Dominica quæ revera tertia occurrit in mense Septembri, etsi possit esse quarta juxta priorem computandi modum. Idem resolve de Festo SS. Rosarii in Dominica I Octobris.—Idem dicendum est de Festo SS. Angelorum Custodum, celebrando in Dominica I Septembris, cum Octava, ex concessione Apostolica Clementis Papæ IX, anni 1677 pro omnibus ditionibus subjectis Romanorum Imperatori; attamen in Belgio (excepta Diœcesi Leodiensi) hoc Festum celebratur, sicuti ab initio concessionis ibi celebratum fuit, Dominica I Septembris juxta computum ecclesiasticum determinata; quam consuetudinem in casu servari posse rescripsit S. Rituum Congregatio. (Decret. Namurcen. 23 Maii 1835, n. antiq. 4746, ad 11.) Decretum hoc in nova editione Collectionis Decretorum anni 1898 non amplius reperitur; non ideo tamen credendum est consuetudinem plurium sacerdorum esse reprobata.

Q. 126. Quomodo dicitur Officium de Dominicæ?

R. Officium Dominicæ dicitur eo modo quo describitur in Psalterio, ritu dupli pro Dominicæ in Albis, ritu semiduplici pro reliquis Dominicis per annum (cfr. Q. 118); scilicet: incipit a primis Vesperis in Sabbato, in quibus, si non præcedit aliquod Officium duplex vel semiduplex, Psalmi dicuntur ii qui describuntur in Psalterio pro Sabbato; quæ Vesperæ in casu nihilominus jure dicuntur primæ Vesperæ ipsius Dominicæ, quia etsi de Sabbato pro parte, jam habent ritum semiduplicem, et fiunt pars Officii ipsius Dominicæ isti Psalmi Sabbati. Ad Matutinum, dicuntur tres Nocturni, quorum primus habet duodecim Psalms, secundus et tertius singuli habent tres Psalms, ut in Psalterio, et leguntur novem Lectiones, ut in Proprio de Tempore; ad Primam dicuntur quatuor Psalmi et

Symbolum S. Athanasii. (Cfr. Specimen Officii Dominicæ per annum, descriptum Q. 67.)

Excipiuntur ab hoc ordine Officii Dominicæ:

1º Dominicæ Paschatis et Pentecostes, quæ simul sunt Festa, et proprium Officium festivum habent.

2º Dominicæ SS. Trinitatis, in qua Officium non de Dominicæ sed de Festo dicitur, ut describitur in Breviario (cfr. Nota ad Q. 119).

3º Dominicæ infra Octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, et SS. Corporis Christi, in quibus Officium fit ut infra Octavam istorum Festorum, non Dominicale, sed festivum, ut Officium concordet maximæ celebritati horum Festorum.—Hic autem modus dicendi Officium de Dominicæ infra istas quatuor Octavas non extendi potest ad Dominicæ infra alias Octavas occurrentes; in iis enim Officium Dominicale dicendum est, omissis tantum Precibus et Suffragiis ratione Octavæ.

4º Dominicæ anticipatæ, quarum Officium ritu Officii Ferialis peragitur.

Officium itaque Dominicæ anticipatæ, de qua agitur Q. 124, non dicitur eodem modo quam in ipsa die Dominicæ; etiamsi hujusmodi Dominicæ Officium stricte non debeat dici feriale (est enim hæc Dominicæ nobilior communi Feriæ, imo quidem Festo simplici, et Festo ad libitum, et Officio votivo), peragitur tamen ritu feriali, scilicet: omissis Vesperis, quas non habet quia Officium est feriale et Feria primas Vespertas non habet, pro Matutino Officium fit de Sabbato aut de Feria, ut in Psalterio describitur; sed pro Lectionibus, omissis iis quæ sunt de Scriptura hujus Feriæ, leguntur tres Lectiones de Homilia in Evangelium (ex tertio Nocturno) Dominicæ anticipatæ, cum tribus Responsoriis tamen Sabbati aut Feriæ, nisi ipsa Dominicæ propria Responsoria habeat; in Laudibus dicuntur omnia ut in Psalterio pro Sabbato aut Feria, exceptis Antiphona ad *Benedictus* et *Oratione*, quæ erunt de Dominicæ; dicuntur Preces feriales et Suffragia, etiam de Cruce; item ad Horas dicuntur omnia ut in Psalterio cum *Oratione de Dominicæ*. In Vesperis vero nihil amplius jam fit de Dominicæ anticipata.

§ 4. De Feriis

Q. 127. *Quid intelligitur nomine Feriæ in Rubricis Breviarii?*

R. Prænotatur quod more ecclesiastico, a primis Ecclesiæ sæculis, dies hebdomadæ vocatæ fuerunt Feriæ (cfr. Q. 81); abhorrebat enim Christiani profanis nominibus gentium vocare dies. Gentiles hebdomadæ dies profanis nominibus denotabant, quæ sunt dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni. Loco profanorum nominum Ecclesia mox, dato primæ diei hebdomadæ nomine Dominicæ, retentoque septimæ diei nomine Sabbati, reliquis diebus nomen Feriæ tribuit numeratis inde a Dominicæ Feriis secunda, tertia, quarta, quinta et sexta. — Feriæ proprie dies sunt, quibus ab operibus vacandum est, eoque adhibito vocabulo significat Ecclesia quod nedium prima, sed et cæteræ dies Domino sacratæ esse debent, præsertim pro clericis, quibus Festorum loco sunt singulæ dies, cum ratione vocationis omnibus sæcularibus negotiis renuntiare, atque a rerum civilium tractatione vacare, et soli Deo famulari quotidie debeant.

In Rubricis Breviarii illæ dies appellantur Feriæ, in quibus nullum agendum occurrit Officium speciale, neque de Dominicæ, neque de Festo, neque de Octava, neque de Vigilia; neque dicitur Officium aliquod votivum; in quibus itaque recitatur Officium prout in Psalterio habetur et in Próprio de Tempore, pro respectivis per annum Feriis.

Q. 128. *Quomodo distinguuntur Feriæ? Explica.*

R. 1º Distinguuntur Feriæ in **majores** et **minores**.

Majores sunt: Feriæ omnes Adventus, Feriæ omnes Quadragesimæ, Feriæ Quatuor Temporum, Feria II Rogationum. **Minores** sunt omnes reliquæ per annum Feriæ.

2º Inter majores Ferias quædam insuper distinguuntur, dictæ **privilegiatae**, et sunt: Feria IV Cinerum, seu prima inter Ferias majores Quadragesimæ; et Feriæ omnes Hebdomadæ sanctæ, quo sub nomine hic indica-

bimus intelligi Ferias II, III et IV, cum reliquæ jam fuerint recensitæ inter Festa duplicita I classis.

3º Etiam nova ulterius distinctio notanda est inter Ferias majores, ex quibus sunt quædam **prohibentes** **Officia votiva ad libitum**; sunt istæ, præter Ferias privilegiatas supra indicatas, Feriæ temporis Passionis, scilicet Feriæ inter Dominicam Passionis et Dominicam Palmarum; et Feriæ sacri Adventus a die 17 usque ad 24 Decembris, in quibus dicuntur in Officio Vesparum majores Antiphonæ O.

NOTA. Omittimus recensere inter Ferias, etiamsi de eis agatur in Rubricis Breviarii, Titulo V, tum Vigilias, de quibus dicitur in § 5 sequenti, tum dies infra Octavas Paschæ et Pentecostes, de quibus dicitur § 6.

Q. 129. *Paucis expone rationes distinctionis Feriarum.*

R. 1º **Feriæ majores Adventus.** Adventus nomine venit sacrum tempus ante Natalem Christi, quo per pias exercitationes animi fidelium præparantur ad rite celebrandam propitiamque sibi reddendam Salvatoris Nativitatem.

In Galliis primum orta sæculo V, inde in Italiæ misgravit pia hæc institutio sæculo VI, atque ex Urbe Roma per totum orbem christianum mox propagata fuit.

Christianî universim toto hoc tempore, sicut hodie dum aliquæ religiones observant, olim ab esu carnium et lacticiniorum abstinere solebant, licet non jejunarent. Antiquitus quidem hoc observabatur a die 14 Novembris, ideoque Adventus « S. Martini Quadragesima » audiebat. (Cfr. Nilles, *Kalendarium manuale*, Edit. 1879-81, II, pag. 533 et sqq.)

Ætate nostra nihil de hac institutione superest, præter vestigium quod in Officiis hujus sacri temporis remanet, quæ more quasi Quadragesimali exsolvuntur, ex quo hujus temporis Feriæ remanserunt majores reliquis per annum.

2º **Feriæ majores Quadragesimæ.** Quadragesima appellantur quadraginta illæ dies, quibus fideles per pias exercitationes, per memoriam Dominicæ Passionis, et jejunia se præparant ad Paschalia festa.

Quum hæc institutio retenta semper in universa

Ecclesia fuerit, atque ejus origo ignoretur, non nisi Apostolica auctoritate tradita haberi debet.

Olim incipiens a Dominica I in Quadragesima, constabat sex septimanis, hoc est, triginta sex diebus, nam pro jejunio dies Dominicæ excipiebantur; ætate probabiliter S. Gregorii Magni additæ fuerunt quatuor præcedentes dies, ut numerus sacer conficeretur quadraginta dierum, quem Salvator noster suo sacrojejunio consecravit, ejusque initium positum fuit ad Feriam IV Cinerum.

Cum Liturgia Quadragesimalis tota poenitentiam spiret et luctum, ideo Quadragesimæ Ferias reliquis per annum jure majores haberi patet.

3º Privilegiatae Feriæ. Præ reliquis Feriis majoribus in Quadragesima merito privilegiis donantur, tum Feria IV Cinerum, in capite jejunii, ob solemnem illam cæremoniæ benedictionis et impositionis cinerum, tum omnes Feriæ Hebdomadæ majoris seu sanctæ, ob sanctissima maximaque mysteria quorum institutio ac memoria per decursum hujus hebdomadæ recoluntur.

4º Feriæ Quatuor Temporum. Sunt Feria IV, Feria VI et Sabbatum, a) post Dominicam III Adventus; b) post Dominicam I in Quadragesima; c) post Dominicam Pentecostes; d) post Dominicam III Septembris, seu post Festum Exaltationis S. Crucis (14 Septembris).

A primis Ecclesiæ temporibus, juxta traditionem quam censem Apostolicam, habitæ fuerunt tamquam dies pœnitentiæ in quibus jejunium erat observandum, Feria quarta, ob crudele videlicet concilium decretumque Judæorum de morte Christi; Feria sexta, propter crucifixionem et necem Christi; et Sabbatum, ob sepulturam Dominicam, quia constat hac die Apostolos in mœrore fuisse et propter metum Judæorum se occulisse et jejunasse.

Cum durior videretur observatio hujus triplicis per singulas totius anni hebdomadas jejunii, postea statutum fuit ut hoc jejunium quater in anno servaretur; Breviarium Romanum S. Callisto I († 222) hoc statutum tribuit, dicens quod ipse « constituit quatuor anni tempora, quibus jejunium ex Apostolica traditione acceptum ab omnibus servaretur. » (Lectio IV in Festo S. Callisti I, 14 Octobris.)

Hac observatione id sibi voluit Ecclesia, ut in quatuor anni partibus, veluti in quatuor mundi cardinalibus (ita S. Leo Magnus), pro acceptis beneficiis Deo gratias agamus; ut divinam opem exoremus, atque his pœnitentiæ operibus nostra crima expientur; ut denique idoneos altaris ministros a Deo impetremus, nam Sabato Quatuor Temporum solemnes clericorum ordinationes peraguntur.

(Cfr. Nilles, *Kalendarium manuale*. Edit. 1879-81, I, p. 62; II, p. 121; — Probst, *Lehre vom Liturgischen Gebete*; — Quadt, *Liturgie der Quatembertage*.

5. Feria II Rogationum. Rogationes vocantur Litaniae, seu deprecationes solemnes quæ fiunt ad obtinendam remissionem peccatorum, pacem, conservationem frugum, et ob alias necessitates. (De earum institutione vide quæ exponuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus, Titulo IX, de Processionibus, Q. 290, IV.) Tres sunt Feriæ post Dominicam V post Pascha, Feriæ nempe II, III, et IV ante Festum Ascensionis Domini, in quibus instituuntur quotannis Rogationes. Ex eis una Feria II præstantior, proprium Officium, id est, Homiliam et Orationem habet, et Feria major est, dum duæ reliquæ minores tantum sunt Feriæ.

Q. 130. Indica regulas liturgicas diversarum Feriarum.

R. Feriæ privilegiatae nulli umquam Officio locum cedunt, nequidem Festo dupli classis, sed quodcumque occurrens Festum vel Officium aut removent, aut pro Commemoratione tantum admittunt.

Exempla: Festum Annuntiationis B. M. V., duplex i classis, 25 Martii, anno 1902 occurrit in Feria III majoris Hebdomadæ: prævaluit Officium Feriæ, et translatum fuit Festum. — Festum S. Walburgis, Virginis (Festum proprium nostræ Dicæsis), 25 Februarii, anno 1903 occurrit in Feria IV Cinerum: dictum fuit Officium de Feria, et de S. Walburge tantum facta fuit Commemoratio.

Feriæ majores locum cedunt omnibus Officiis duplicibus et semiduplicibus; attamen quando hujusmodi Officiis integrum earum impeditur Officium, semper tamen de eis fit Commemoratio, etiam in Festo dupli

I classis. Ita, ex. gr., in Festo S. Joseph, 19 Martii, fiet semper Commemoratio Feriae Quadragesimæ in qua occurrit, per nonam Lectionem in Matutino, per Commemorationem in Laudibus et in Vesperis; in Festo Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 8 Decembris, fiet Commemoratio Feriae Adventus in Laudibus et in Vesperis. — Præferuntur e contra Feriae majores Festo simplici, cujus tantum in earum Officio fiet Commemoratio.

Dictum est Ferias majores locum cedere cuicunque Officio semiduplici: intellige, si agitur de Festis semiduplicibus; nam aliquæ ex eis non admittunt quædam Officia semiduplicia, scilicet Officia votiva quæ ex Indulto Leonis Papæ XIII ad libitum dicuntur in aliis Feriis majoribus, et de quibus dicetur § 7: nempe Feriae majores quæ Q. 128 sub 3º recensentur, et sunt Feriae hebdomadæ Passionis, et Feriae sacri Adventus a 17 ad 24 Decembris.

Feriæ minores per annum, locum cedunt cuicunque Officio occurrenti, et earum Officium tum penitus omittitur, ita ut de eis nequidem fiat Commemoratio.

NOTA. Singularis est Feria VI post Octavam Ascensionis Domini, in qua non dicitur Officium feriale, sed fit Officium sicut infra Octavam Ascensionis et in Dominica infra hanc Octavam, cum Lectionibus propriis, ut in Breviario describitur. Ipsa locum cedit cuicunque Festo duplii aut semiduplici occurrenti, vel etiam translato, et diei infra Octavam, ex. gr., Patroni aut Tituli; de ea autem semper in casu fit Commemoratio in Laudibus, Missa et secundis Vesperis, nisi Festum sit duplex 1 vel 2 classis; attamen in Festo duplii 2 classis, hujus Feriae Commemoratio, etsi omissa in Laudibus ac Missa, fit in secundis Vesperis (Decret. S. Rituum Congregationis, 5 Februarii 1895, n. 3844, ad 4); quia in Sabbato sequenti de eodem fit Officium sicut de die infra Octavam.

Q. 131. Cujus ritus est Officium Feriæ?

R. Officium cujuscumque Feriæ, tum minoris, tum majoris, tum etiam privilegiatae, etsi hoc prævaleat quidem Festo duplii 1 classis, est ritus Simplicis, et

peragitur prout in Psalterio et in Proprio de Tempore habetur, unde dicitur « Simplex de Tempore ».

Quomodo ordinandum sit, generatim expositum fuit Q. 102. (Cfr. Specimen Officii Feriae Adventus, et Feriae per annum Q. 69.)

§ 5. De Vigiliis

Q. 132. Quid intelligitur sub nomine Vigilia?

R. Vigiliæ vox a vigilando derivatur, eo quod a priscis Ecclesiæ temporibus solerent Fideles in præcipuis festivitatibus noctem divinis laudibus in ecclesiæ consecrare, ubi Officio et postea Missæ intererant. In Festis siquidem istis noctu ac diu Sacrum fiebat, sicut hodie fieri supponitur in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes.

Vigilia primitus fuit synaxis a fidelibus noctis tempore habita, in qua audiebant Lectiones, Homilias, Cantus, et récitabant Preces, quæ mox locum cesserunt Officio Nocturno, seu Matutino. Primitus habitæ singulis Dominicis, postea retentæ fuerunt pro solennitatibus Paschæ et Pentecostes, et pro Dominicis quæ sequuntur Quatuor Tempora.

Partes Officii quæ præcedunt Benedictionem Fontis in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes, necnon Lectiones cum Responsoriis et Orationibus quæ adhuc leguntur in Missis Sabbatorum Quatuor Temporum, haberi possunt tamquam vestigia eorum quæ in Vigiliis peragebantur, et Missæ horum dierum sunt proprie Missæ matutinales sequentis Dominicæ. — (Cfr. Duchesne, *Origines du culte chrétien*. Paris, 1889, p. 219).

Cum vero circa sæculum XI abolitæ fuerint Vigiliæ, frigescente pietate, et ad nonnullos abusus removendos, remansit nomen ad significandum jejunium annexum diei Festa hujusmodi præcedenti, quæ Vigilia proinde appellatur, et in qua celebratur Missa quæ antea noctu dicebatur.

Est ergo Vigilia præparatio ad sequens solemne Festum.

Q. 133. Recense diversas Vigilias per annum.

R. Vigiliæ dantur septemdecim, scilicet :

1. Nativitatis Domini, 24 Decembris.
2. Pentecostes, mobilis.
3. Epiphaniæ, 5 Januarii.
4. Ascensionis Domini, mobilis.
5. S. Mathiæ, Apostoli, 23 vel 24 Februarii.
6. Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 23 Junii.
7. SS. Petri et Pauli, Apostolorum, 28 Junii.
8. S. Jacobi (majoris), Apostoli, 24 Julii.
9. S. Laurentii, Martyris, 9 Augusti.
10. Assumptionis B. Mariæ V., 14 Augusti.
11. S. Bartholomæi, Apostoli, 23 Augusti.
12. S. Matthæi, Apostoli et Evangelistæ, 20 Septembris.
13. SS. Simonis et Judæ (Thaddæi), Apostolorum, 27 Octobris.
14. Omnium Sanctorum, 31 Octobris.
15. S. Andreæ, Apostoli, 29 Novembris.
16. Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., 7 Decembris.
17. S. Thomæ, Apostoli, 20 Decembris.

NOTA. Vigiliam non habent Festa Sanctorum Apostolorum Joannis, 27 Decembris, et Philippi et Jacobi (minoris), 1 Maji.

Q. 134. Quæ Vigiliæ sunt « majores » seu « privilegiatae », quæ « minores » seu « non privilegiatae » ? Explica.

R. Vigiliæ **majores** sunt tres : Nativitatis Domini, Pentecostes et Epiphaniæ.

Ex his duæ, nempe Nativitatis Domini, et Pentecostes, nulli cedunt Officio, nequidem Festo duplice i classis ; Vigilia Epiphaniæ locum cedit Officio duplice, et de ea tunc fit tantum Commemoratio.

Vigiliæ **minores** sunt reliquæ Vigiliæ omnes : locum cedunt cuicunque Officio duplice vel semiduplici.

Q. 135. Quo ritu peraguntur Vigiliæ ?

R. Vigiliæ majores peraguntur : 1º Vigilia Nativitatis Domini ritu Simplici in Matutino, nempe cum uno Nocturno de Feria, et tribus Lectionibus ; aut, si in Dominica venerit, ritu Semiduplici Dominicæ ; inde a Laudibus, Officium fit duplex ; 2º Vigiliæ Epiphaniæ et Pentecostes, ritu Semiduplici.

Vigiliæ minores ritu Simplici peraguntur. Officium Vigiliæ enim totum fit de Feria occurrente, ut in Psalterio, cum tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium Vigiliæ, et tribus Responsoris de Feria ; dicuntur Preces feriales et Commemorations communes uti in Feriis.

Omnium Vigiliarum Officium terminatur ad Normam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo vel Officio quod semper primas Vespertas integras habet, et tunc cessat omnis ratio Vigiliæ.

Q. 136. Quid faciendum est si aliqua Vigilia occurrat in die Dominica ?

R. Quia propter gaudium Resurrectionis Domini quæ singulis Dominicis recolitur, non decet die Dominica Vigiliam agere Festi alicujus quod Feria II celebratur, ideo de Vigilia quæ occurrit in Dominica fit Officium in Sabbato præcedenti.

Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis Domini ; item Vigilia Epiphaniæ ; quæ si venerint in Dominica, de illis in Dominica Officium dicitur, sicuti in propriis harum dierum rubricis notatur.

Et sane, cum Officium Vigiliæ Nativitatis totum sit quod animos proxime excitet ad celebrandum in crastino Nativitatem Domini, sensus hujusmodi Officii bene convenire possunt cum Dominica die. Jejunium autem anticipatur in Sabbato.

Item Officium Vigiliæ Epiphaniæ fit in occurrente Dominica, primum quia hoc Officium est festivum et ritus Semiduplicis, dein quia hæc Dominica, cum sit vacans (cfr. Q. 122), Officio caret. (Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 130.)

Q. 137. Quid faciendum est si Officium Vigiliæ impeditur ?

R. 1º Quando in die Vigiliæ minoris, vel in Sabbato in quo reponitur Vigilia, occurrit Festum novem Lectionum, Officium Vigiliæ non omittitur, sed in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, et fit Commemoratio ejus ad Laudes tantum ; pro qua Commemoratione sumitur Antiphona ad

Benedictus et Versus Feriae occurrentis, ut assignantur in Psalterio, Oratio vero Vigiliæ.

2º Si autem in Vigilia minori occurrat Festum sollempne alicujus loci, vel Festum ex solemnioribus infra annum, quod ritu duplii i classis peragitur (veluti si in Vigilia S. Joannis Baptiste venerit Festum Corporis Christi), in Officio nihil tunc prorsus, nec Commemoratio, fit de Vigilia; nec debet, quemadmodum in casu quo occurrat in Dominica, de ea fieri Officium aut Commemoratio in die præcedente, sed Vigiliæ Officium simpliciter omittitur.

3º Etiam omittitur Officium Vigiliæ, quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus; ex. gr., Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V., et S. Thomæ Apostoli, in Adventu: de eis nihil fit in Officio divino. Etenim istæ Feriae Adventus, Quadragesimæ, et Quatuor Temporum, quarum semper fit Officium aut saltem Commemoratio, jam sunt pœnitentiales; superfluum igitur esset in eis de alio Officio pœnitentiali, nempe de Vigilia agere: bis enim de eodem non fit. Habent tamen in tali casu Vigiliæ Commemorationem in Missa, ut explicatur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani.

Q. 138. *Casu quo transfertur Festum habens Vigiliam, an ideo etiam transfertur Officium Vigiliæ?*

R. Cum aliquod Festum habens Vigiliam transfertur accidentaliter, vel assignatur in perpetuum in aliam diem, non ideo transfertur ejus Vigilia, sed remanet Officium Vigiliæ in die propria, ac si ejus Festum translatum aut assignatum minime fuisse. (Decreta S. Rituum Congregationis, 9 Maii 1857, n. 3050, antiq. 5242, ad 1; et 24 Martii 1860, n. 3095, antiq. 5298, ad 1.)

Exempla: 1. anno 1901, Festum S. Mathiæ Apostoli, occurrentis in Dominica I in Quadragesima, a die sua 24 Februarii fuit translatum in 26 Februarii: remansit tamen Vigilia in diem 23 Februarii.

2. Ubi S. Christophorus, Martyr, cuius Festum celebratur 25 Julii, est Patronus loci, vel Titularis Ecclesiæ, Officium S. Jacobi Apostoli in perpetuum est assignandum a die 25 Julii in aliam diem: tamen remanet Officium Vigiliæ S. Jacobi fixum in die 24 Julii.

Q. 139. *An omnes Vigiliæ cum jejunio aguntur? Explica.*

R. Quantum est de jure communi, Vigiliæ omnes, ex generali et antiqua consuetudine Ecclesiæ, habent jejunium annexum, exceptis tribus: Epiphaniæ Domini, et Ascensionis Domini, eo quod non deceat lætitiam ex Nativitate et Resurrectione Domini exortam temperare; et Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V., pro qua Summus Pontifex Leo XIII, eam instituens Decreto 5 Decembris 1879, jejunium non imperavit.

Dicitur: *quantum est de jure communi*, quia obligatio jejunii quibusdam in locis abrogata est pro pluribus Vigiliis. Et ita obligatio jejunandi in quibusdam Vigiliis in Belgio sublata est a Clemente XIV, 22 Junii 1771; deinde per Indultum reductionis Festorum, 9 Aprilis 1802, omnia Vigiliarum jejunia suppressa sunt præter quinque, scilicet in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, SS. Petri et Pauli, Assumptionis B. Mariæ V., et Omnium Sanctorum. — Quoad Vigiliam SS. Petri et Pauli, notandum est jejunium servandum esse apud nos in Sabbato ante Dominicam in quam transfertur Festi solemnitas; quod si Festum occurrat in Sabbato, jejunium servandum esse die præcedente, Feria VI. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Septembris 1838, n. 2785, antiq. 4843.)

Dempta tamen hac obligatione jejunii, nihil omnino mutatum fuit quoad ritus et functiones ecclesiasticas in hujusmodi Vigiliis; imo expresse cautum fuit ut retineantur et serventur; ideoque ad Preces Officii, et in Missa de Vigilia semper genuflexiones fieri debent ad formam Rubricarum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11. Martii 1820, n. 2602, antiq. 4566, ad 4.)

§ 6. De Octavis.

Q. 140. *Quid est Octava? Pauca refer de Octavarum origine.*

R. 1º Octava est celebratio, vel prorogatio seu continuatio Festi per octo dies continuos. Ut enim quædam Festa Vigilia præveniuntur, ut solemniora fiant, ob eamdem rationem quædam per octo dies protrahuntur, ut eorum celebritas sit illustrior; adeo ut Octava nota sit et index magnæ solemnitatis.